DE SANGUINIS CONDITIONE IN MORBIS PHLOGISTICIS DISSERTATIO...

Enrico Rubini

DE

SANGUINIS CONDITIONE

IN

MORBIS PHLOGISTICIS

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM AD SUMMOS HONORES IN ARTE MEDICA OBTINENDOS

IN CELEBERRIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICE DEFENDENDAM PROPONIT

AUCTOR

HENRICUS RUBINIUS

PATAVINUS

MENS. MARTIO ANNO MDCCCXXIV.

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXIV.

DE SANGUINIS CONDITIONE IN MORBIS PHLOGISTICIS

Sanguis, praecipuus ille universae animalis machinae stimulus, non semper in corpore sese habet aequabiliter. Pro sexu enim, temperamento, vitae genere, aetate, aliisque rationibus aliter atque aliter solet apparere. Id si in ceteris morbis, praesertim vero in phlogisticis, in quibus maximae evidentioresque (summi pro Medico momenti) habentur sanguinis perturbationes. Quapropter quum specimen aliquod juris publici facere jubear studiorum eorum, in quibus celeberrimos Praeceptores prudentia, doctrina, et exsperientia praestantissimos jactare mihi fas est, non inutile prorsus judico, hoc meo, qualecumque demum sit, Opusculo, aliquid de iisdem sanguinis mutationibus disputare, eoque liben-

tius, quod hac in re discrepantes adhuc videam Medicorum sententias, atque hujusmodi argumentum nondum satis enucleatum atque diremptum fuisse Pathologi conquerantur.

Ambigitur a nonnullis de adaucta sanguinis quantitate in plethora, quae naturalem vasorum capacitatem excedat, quatenus vasa praeter modum extendi non posse aliqui arbitrantur. Nec dubium valet circa eam, quae fieri potest, dilatationem vasorum, quae praeter facultates vitales, mollitudine quoque praedita sunt, unde dilatatio certe permittitur, uti observatio ostendit. Id in ophthalmite, et in cujuscumque visceris inflammatione occurrit, ubi vasa majorem acquirunt capacitatem, eaque evolvi videntur, quae erant invisibilia. Dilatationem quoque vasorum magis statuit constrictionis facultas in sanguinis jactura; quod Physiologi plures, et Parry prae omnibus comprobavit. Quamobrem si coarctantur vasa sub imminuta sanguinis copia, cur non dilatari poterunt sub aucta humoris illius quantitate?

Sanguis praeterea in qualitatibus suis laesus phlogistica in diathesi jugiter occurrit; nam ipsa perstante sanguinis copia, si hic humor aliqua peculiari qualitate peccet, in causam plurimorum morborum venit. Ex hoc ita facile animo concipimus, cur humanum corpus, neque aucta,

neque imminuta sanguinis copia, iisdem afficiatur morbis ac si plethora laboret. Veteres enim Medici quum mutuam quamdam elementorum proportionem dari statuissent, facile intelligimus, totius corporis temperiem permutari, quoties aliquod eorum elementorum pro reliquorum ratione vel fines excedat, vel imminuatur.

Multum a veteribus, multum ab hodiernis Pathologis disceptatum est de sanguinis et humorum qualitatibus ad gignendos morbos aptissimis; multum quoque nobis traditum est de phlogistica sanguinis conditione: omnes tamen veritatis limites praetergressi sunt, qui effectum pro causa consideraverunt. Aliud enim est, humores morbose immutari posse; aliud, illorum mutationes esse primariam morborum causam. Neque ex eo, quod recentiores chemici oxygenium, carbonem, hydrogenium vel excedere, vel deficere in morbis docuerunt, conjiciendum est, in ea copia, vel defectu constituendam esse morborum aetiologiam.

Craseos tamen permutationem in phlogistica sanguinis diathesi locum habere in dubium minime revocamus; quin immo argumentis nonnullis pro ea ipsa permutatione contendimus:

I. In diathesi phlogistica ita sanguis sese habet, ut vel principiorum constituentium proportio mutata dici debeat, vel affinitas inter ea adaucta.

II. Mutatio haec vel copiosiorem reddit fibrinam, vel magis plasticam lympham illam, quae a vasis secreta et deposita in viscerum parenchimate, vel superficie, aut inter vasa ipsa, pseudomembranas, obstructiones, aliaque hujusmodi gignere solet, aut in sanguine ipso de corpore educto crustam generat ex sui ipsius coagulo, quod tamen in vivo corpore nunquam contigisse videmus. An vero mutationes istiusmodi in sanguinis conditione pro causa habendae sint, vel potius pro inflammatoriae diatheseos effectu, notum hactenus compertumque esse valde dubito. Sed tamen hoc confirmari videtur a praeceptis, quae jam sexaginta abhinc annis protulit celeberrimus Burserius:

»Rursus scire interest, prioris generis diathe»sim modo praecedere inflammationi; modo, im»mo plerumque supervenire. Quando praecedit, »acritatemque aliquam conjunctam habet, sicut »stimuli vice alicubi fungatur, pro causa inflam»mationis, si qua eam subsequitur, haberi tum »poterit: quando vero eidem succedit, jam patet, »tum ejusdem effectum, non causam esse. Quod »clarius fiet exemplo. Digitus homini sanissimo »graviter contundatur: mox ei vena secetur, ut, »quoad fieri potest, inflammationis metus antever»tatur: sanguis sic primum eductus nec justo »densior, nec justo firmior, nec ullum vel leve

» crustae inflammatoriae indicium praebet. Sed » intumescente nihilominus postea, et acriter do» lente digito, inflammationemque subeunte, san» guis iterum mittatur. Is tum in densam, tena» cem, firmamque massam concrescit, et desuper » crusta illa crassa, fibrosa, dura, et corio si» mili obducitur. Idem omnino contigit in pleu» ritide, aut alia quacumque in inflammatione re» pente oborta; nam sanguis, qui primum, et » mox, antequam morbus invalescat, detrahitur, » vix, et ne vix quidem a naturali crasi defle» ctit; qui vero secundo, vel tertio emittitur, » diathesim plerumque phlogisticam nactus est, » crustamque illam corii instar ostendit. En dia» thesim inflammatoriam inflammationis effectum, » nequaquam causam ».

Talis revera est progressus acutae phlogisticae affectionis. Localis inflammatio ab externa causa orta satis detegit rationem, qua diathesis aliquam partem afficiens paullatim ad universum systema extenditur vis illius lege, ex qua, aucto universo incitamento solidorum, naturalis proportio principiorum constituentium perturbatur. Haec autem sanguinis immutatio, a qua ille extra corpus promptius quam in salute cogitur, constansne habetur in phlogisticis morbis? Semperne ad phlogisticam diathesim constituendam sufficiens? Hujusne gradus et progressus semper indicat? Circa hoc

signum practicum, adeo in difficilioribus circumstantiis valens, plurimum disputatum fuit, et Medicorum mentes diu circa illud discerptae fuerunt. Brunonis asseclas tamen excipere oportet, qui dum inter morbos ex indirecta debilitate procedentes asthenicas inflammationes adnumerassent, quae et crustam pleuriticam ostendunt, parum hanc consideravere, et a praecipuis inflammationis characteribus eam respuerunt. Medici tamen omnes tum pro morborum diagnosi statuenda, quum in eorum curatione, eam summopere animadvertendam esse censuerunt. » Haud » exigui momenti est, inquit clarissimus Grant, » ut plerique arbitrantur, pro sanguinis et cru» stae, qua tegitur, examine, phlogisticae consti» tutionis gradum determinare: censeo nihilominus » perperam dici, sicuti vellent nonnulli, idem » sanguinis examen nobis satis apto documento » esse non posse: etsi hac una animadversione in» flammationis gradus assignari penitus nequeat, » eo quod ad crustam illam efficiendam plures » circumstantiae possunt accedere, quae vel ad » aegrotantis idiosyncrasiam referantur; nihilo ta» men secius haec est ratio omnium tutissima, » qua et detegitur utrum sanguis inflammatorius » sit, et solidorum liquidorumque status digno» scitur.

Non tamen inficiamur, praeter phlogosim, plura

quoque momenta sanguinis conditionem permutare; uti sunt tempus quo sanguis educitur; ratio eum emittendi; vena ex qua detrahitur; sed plurimum inter haec valet aegri ipsius constitutio, quum observetur in nonnullis ab inflammatione nullius momenti, levissimis causis orta et circumscripta totum systema arteriosum pati, et ad abnormes motus impelli ex ea, qua gaudet, irritabilitate; dum in aliis e contrario sub graviori quoque et lethali inflammatione alicujus partis reliquae arteriae parum in consensum trahuntur ex minori earum phlogistica, ut ita dicam, proclivitate. Hac ipsa de causa facile patet ratio, ob quam interdum in inflammatione omnino deficiat crusta pleuritica in sanguine; quod deducimus a praeposita arteriarum proclivitate, ex qua in nonnullis aegris sub ipso causarum gradu omnia organa et systemata afficiuntur; dum in aliis cito circumscribuntur generales affectiones, vel minus diffunduntur. Ergo vel phlogistica diathesis ad totum arteriosum systema, et ad universum sanguinem extenditur, qui inflammatorios characteres porrigit; vel omnes illius effectus ad unicam tantum partem circumscripti sunt, dum universalis massa sanguinea immutata apparet. Ex hisce omnibus Viri in medica arte celeberrimi duplicem morborum divisionem statuerunt, eorum videlicet, quos gravissima localis affectio comitatur sub levissima

tamen universali diathesi; atque eorum, qui diathesim graviorem habent magisque diffusam cum levissima locali affectione: vel ergo morbus ad universas arterias diffunditur, vel ad partem circumscribitur, et sanguis erit pleuriticus, aut non.

Id quoque occurrit in inflammationibus minora organa aggredientibus, quatenus morbi vis ad universale systema difficilius extenditur, et sanguis crusta pleuritica vel omnino caret, vel levem eam praesefert, quae autem apparet dum pedetentim inflammatoria diathesis ex uno puncto ad reliquum systema diffunditur. Id satis dignovit et docuit clarissimus Bousquillon:

» Sanguinis emissio, inquit ille, tunc aliquando » fieri potest, quum inflammatio, quae unam tantum » partem afficit, omnem nondum massam invaserit: » et sanguis tunc temporis pleuritica crusta carebit. » Sanguis ex. gr. pede emissus crusta destituetur » ea fortasse de causa, quia artus inferiores non» dum diathesi phlogistica affecti sunt, vel quia » pedis vasa multo magis quam in brachio exilia » sunt ».

Nemo autem objiciat in pleuritide, in peripneumonia ipsa, in gravioribus et longe lateque diffusis inflammationibus sanguinem eductum aliquando crustam pleuriticam non ostendere; nam adnotavimus jam, hanc vario fortasse modo apparere pro varia ratione, qua sanguis educitur, qua colligi-

tur, qua ex vena secta defluit, etc. Sydenham ipse animadvertit in acutissima pleuritide sanguinem crusta carentem, dum hic guttatim, non pleno rivo a vena decurrebat. Id nuper memoratus Bousquillon tradidit:

»Sanguis vena eductus, vel perstante inflam»matoria diathesi, crusta carere potest, si per»exiguo emittatur foramine, et exeat difficillime: »idem sanguis ab eadem vena ductus, si parvis »portionibus in plura vasa recipiatur, minorem »deinceps crustam praeseferet, quae sane omnia »maximo nobis argumento sunt, multa elementa »in causa esse posse, quominus pleuritica cru»sta in oculos incurrat».

Haec omnia si valent, ut sanguinis conditio varia sub eodem statu occurrat; tamen denegandum non est, quod dum pleuritica haec crusta apparet, inflammatoria conditio vasorum existat vel occulta, vel manifesta.

Attamen crustam in sanguine quoque exhibent nervosae febres, cholicae, rheumatalgiae, id quod sane legem infirmat, qua nonnulli contendunt, solos inflammatorios morbos crustam comitari. Sed Pathologi satis declarant, haec ipsa mala non semper asthenica esse, sed ab inflammatorio fonte aliquando oriri; quo in casu encephalitis pro morbo nervoso, entheritis pro cholica, rheumatalgia pro vero rheumate habetur. Id quoque dici po-

test de morbo venereo, de hydrope, de chlorosi; siphylis enim plures inflammatorios et quidem graviores excitat morbos, ophtalmitem puta, iritem, orchitem, otitem, etc. Hydrops pariter frequentius ab hoc ipso phlogistico fonte proficiscitur, quod a curativa methodo, a causis et a cadaverum sectione confirmatur. Tandem objectum est, sanos quoque homines, et praegnantes feminas pleuriticum sanguinem exhibuisse. Dubito tamen an sanissimi homines fuerint revera, et latentis inflammationis expertes, quum sciamus, eam clandestino modo decurrere, nec ullum quandoque suimet signum exhibere. Quoad praegnantes feminas negligere nequimus Harvei et Hunteri experimenta, quibus satis constat, uteri statum in graviditate a phlogistica affectione non multum distare, nec ab ea in qua discissae, vel amissae partes conjunguntur, aut reproducuntur. Ipsa siquidem natura iisdem fere legibus, nunc in salutis limitibus circumscriptis, nunc extra illos diffusis, amissas partes restaurat, et reproducit, nova entia evolvit, vel minus naturales obtinet effectus; proprium opus vitiat, primum ordinem corrumpit, et partium concordiam perturbat atque dissolvit.

Breviter haec, Praeceptores clarissimi, ausus sum quodam modo delibare. Vos interim exoro, ut mei ingenii exiguitati et opellae ipsius

brevitatem, et adumbratam solummodo, non rite, ut par erat, expressam sententiam perhumaniter tribuere velitis.

THESES

I.

Inflammatio ab aucta oxygenii quantitate in sanguine minime est repetenda.

II.

Phthysim tubercularem antecedit aeque ac subsequitur inflammatio plus minusve manifesta.

III.

Hepar, habita ratione voluminis ipsius, minimis arteriosis vasis praeditum est, et ideo non tam facile vera corripitur inflammatione.

IV.

Si Hepar in parte sua convexa inflammetur, phaenomena pleuritica, si in concava, gastritidem et entheritidem simulare potest.